


Rekawowie Joannis: Quaestio metaphysica de essentia entium finitorum



A. M. D. G.

QVÆSTIO METAPHYSICA

DE

Essentia Entium Finitorum

Ad mentem

D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

Sub felicibus auspicijs



MAGNIFICI, PERILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDI DOMINI

D. ANDREÆ KVCHARSKI,

S. Th: Doctoris & Professoris, Ecclesiatum Cathedralis Crac: Canonici, Collegiatæ SS. Omnium Præpositi, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris.

ALMÆ ACADEMIÆ CRAC:

GENERALIS RECTORIS.

A

M. JOANNE REKAWOWIC,

Philosophiæ Doctore Collega minore.

Publicè ad disputandum proposita

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio

Anno Salutis M.DC. LXV. Die 14. Mensis Apr:

CRACOVIÆ,

In Officinâ apud Hæredes STANISLAI BERTVTOWIC.

QVÆSTIO METAPHYSICA

V. Eſſentia in Entibus finitis, quæ conſtat gradibus Metaphyſicis, & eſt diſtincta realiter ab Exiſtentia, cum qua facit compoſitionem; ab æterno conſiſtat in ſola reali poſsibilitate, nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

Eſsentia Entium finitorum conſtat ex pluralitate graduum ex quibus componitur metaphyſicè.

COROLLARIA.

1. *Eſſentia prædicta ſic compoſita, eſt vnum per ſe.*
2. *Eſſentia finitorum Entium non eſt quid ſimplex.*
3. *Eſſentia tamen eſt ſimplex ratio, quæ indiuiſibiliter afficit omnes gradus eſſentiæ.*
4. *Gradus iſti contenti in Eſſentia creaturarum, non ſunt diſtincti realiter, ſed per intellectum cum fundamento in re.*
5. *Per dictos gradus, intelliguntur hîc, non tranſcendentales; vt ratio Entis, veri, boni, &c. ſed prædicamentales. ſ. generici, ſpecifici, & differentiales.*

CONCLVSIO SECVNDA.

Eſsentia in Entibus finitis realiter diſtinguitur ab exiſtentia.

COL-

C O R O L L A R I A.

1. *In Ente Infinito, s. Deo, eſsentia cum exiſtentia identificantur realiter: & ſaltim virtualiter differunt.*
2. *In Intelligentijs autem eſsentia ab exiſtentia realiter differunt.*
3. *Similiter in Accidentibus eſsentia non eſt idem cum exiſtentia.*
4. *Eſt autem Eſsentia id quo aliquid eſt: exiſtentia verò eſt actus vltimus & complementalis rei extra cauſas conſtitutæ.*
5. *Exiſtentia non eſt Accidens prædicamentale: poteſt tamen dici prædicabile.*

CONCLVSIO TERTIA.

Entia finita ex Eſſentia & Exiſtentia, verè & realiter componuntur.

C O R O L L A R I A.

1. *Eſsentia habet rationem potentiæ receptiuæ: exiſtentia verò rationem actus perficientis eſsentiam.*
2. *Exiſtentia eſt pars componens perfectior, quàm eſsetia.*
3. *Sicut Entia materialia; ita & ſpiritualia finita vg: Angeli, admittunt iſtam compoſitionem.*
4. *In Entibus tamen materialibus non ſunt plures exiſtentiæ partiales, ſed vnica totalis; quâ primariò totum compoſitum exiſtit, ſecundariò verò partes illius.*
5. *Exiſtentiæ cauſa effectiua proxima ſolus eſt Deus: creatura verò non niſi eſt inſtrumentalis.*

CONCLVSIO QVARTA.

Eſsentiæ finitorum Entium, ab æterno, vt præſcindunt ab exiſtentia, in ſola reali poſſibilitate conſiſtunt.

C O R O L L A R I A.

1. *Eſſentiæ Entium finitorum nullum habent eſſe reale actuale in ſe ipſis ab æterno, ſeclusâ exiſtentiâ.*
2. *Nequè habent aliquod eſſe diminutum, medium inter eſſe reale & rationis.*
3. *Eſſentiæ dictæ habent poſſibilitatem intrinſecè ex ſeipſis; id eſt, quia ex ſe non implicant contradictionem: extrinſecè verò & principiatiuè ab intellectu Diuino.*
4. *Eſſentiæ rerum poßibilium vt præſcindunt ab exiſtentia, habent rationem veram Entis realis; prout differt à nihilo & Ente rationis.*
5. *Ens poßibile formaliter & in recto ſignificat illud Ens poſitiuum, quod ſi produceretur in tempore, exiſteret.*



